



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XIX. Hierosolymitanis coenobitis, uictui necessariijs reb. omnib. absumptis, fameq. & inedia laborantib. copiosè e coelo annona demittitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

cto baptismatis fonte iusiurandum dedit, se sub christiana religionis signis militaturum. Hoc praeter eam miraculo perculsi multi, ad multi eius ciuitatis, & regionis Hebraei, ad Christum descuerunt, à Iudaeis ritibus deficientes, ac discedentes.

MIRACI VIRG. XIX.

Hierosolymitanis coenobitis, uictui necessarijs reb. omnib. absumptis, fameq. & inedia laborantib. copiose e coelo annona demittitur.

Hierosolymam non parua coenobitarum multitudo incolebat, ut idem Gregorius episcopus ait. Illis non solum populi religio, quibus erat deditissimus, sed et regis liberalitas multa profuse, regioque splendore digna largiebatur. Fortè ob incredibilem annonae inopiam, nec illis rex, uti consueuerat, donare, nec populus potuerat. Iccirco in eas angustias eorum res familiaris erat cōiecta; ut iam reb. uictui maxime necessarijs ualde egere coepissent. Quare cum eos nullo cibo pastos biduum alimenta defecissent; conquerebantur, & certiolem praefectum faciebant; ni, uel uictum suppeditasset, uel eius aliunde quaerendi potestate dedisset, e coenobio esse erupturos. Quamuis. n. fortunam prius malebant experiri; quam fame, miserrima omnium morte confecti, aut consumpti essent. At praefectus eos confirmauit, fortique, ac bono animo esse iussit. Quid. n. nobis est desperandum, inquit, quis nos unquam esurituros dicet,

qui

D

qui sub eius reginae nomine, ac tutela sumus, è cuius
Virginea, & castissima aluo uitae fructus hominū ge-
neri prodijt? quo mortalib. immortalibusq. omnib.
copiosissimus cibus, & qui nunquam deficit, affertur
tota nocte igitur pijs precationib. consumpta; manè
ita frumento horrea plena cōperta sunt; ut uix ingre-
diendi locus relictus esset. Quas immortalib. & libera-
lissimo coelito regi, eiusq. sanctissimae parenti gra-
tias egerint; nō dici, aut excogitari potest. Iisdem eue-
nit, ut etiam reb. quibuscunq. immundissimis cōsum-
ptis, iterum eos grauisissima fames opprimeret. Itcir-
co cū maximo mōerore, atq. animi perturbatio-
ne afficerentur; tandem ipsius praefecti iussu, & hor-
tatu prostrati, ac submissi totam noctem Deum piè
comprecati sunt. At pius, clemensq. rerum omnium
dator, nolens suis in tanto tēpore deesse, Angelo ius-
sit, ut maximum auri pondus in eorū templum infer-
ret, & in sacello reponeret. Illud mane repertū incre-
dibili spe, prius prostratos eorum animos erexit; qui
accito aedituo de eo quaesuerunt, quinam princeps,
aut heros tam liberale munus misisset. Sed aedituus
ualde miratus est; neq. conijcere poterat, à quo aurū
illatum fuisset, cū penes se fuissent semper ianuarū
claves, nec quisquam templum interim ingressus
fuisset. Praeclarè igitur intelligentes, id à benignita-
te, ac liberalitate eius regis prouenisse, qui reges om-
neis largitionib., ac splendore uincit, & apud quem
sunt omnium rerum, & omnium regū copiae, immor-
tale beneficium, sanctis sermonib. exornabant. Qua-
rè desinant qui ad Deum, Virginemq. cōfugiunt, du-
bitare de re ulla. Amplissima. n. eorū est liberalitas,
&

& amplissimè patet; & omnes, qui eos piè inuocant, re ipsa eorum benignitatem experiuntur, ac sentiunt; nec unquam falluntur.

MIRAC. VIRG. XX.

Quibusdam Virginis reliquijs maximum incendium fuit extinctum.

Charissima pignora quarundã Virginis reliquiarum, Apostolorumq., & D. Martini ipse Gregorius aureae cruci inclusa semper gestabat. Fortè pauperis rustici tuguriolum aridis frõdibus confutum, uehementi igne accensum conflagrabat. In felix pauperrimarum aedium dominus unã cum uxore, & filiolis maximam aquarum copiam afferebãt, ut flammam extinguerent. Sed tam acriter ignis oppreserat; ut omnia absumenda essent, ni opem beatus uir adtulisset. Contra flammam reliquiarum crucem ipso conijciente; non aliter eae fuerunt extinctae, ac si illis imperandi sancto uiro ius, ac potestas fuisset. cur autẽ Virginis nomen leuissimas, & caducas flammam non tollat; cum illum pepererit, qui aeternarum flammarum, & prius omnia uorantium, impetum repressit?



MI-